



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 55. Novesii obsidio a Burgundo soluta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. olim eorum terras depopulabatur, ul-
A.C. 1475. ciscerentur. Inde cum exercitu suo Bur-
 gundiæ Comitatum invadunt, & Bla-
 montium atque Hericuriam urbes occu-
 pant, necnon fuso fugatoque milite pro-
 vinciali, hostium more agros foede de-
 vastant. Præterea Ludovicus, indu-
 ciis Franciam inter & Burgundiæ Ducem
 exeuntibus, cum altera exercitus sul-
 parte in Burgundiam movit, ipsumque
 Rouffy
 Tronquoy
 Ruffinii Comitem hujus Provinciæ Gu-
 bernatorem Connestabilis S. Pauli filium
 haud procul a Grajo urbe profligavit, ca-
 ptumque abstraxit. Reliqua Gallici ex-
 ercitus pars Tronquejam, Montem-de-
 derii, Raugam & Corbejam urbes pro-
 spero Marte expugnavit, & usque ad A-
 trebatensis civitatis mænia penetravit,
 ibidemque omnes equestres copias in-
 cautius urbe erumpentes, ac longius ab-
 reptas cepit. Commissum est hoc præ-
 lium die vigesima Junii, cujus victoriæ
 magna pars Combrondio, Viro rei milita-
 ris scientia præstantissimo debebatur.

§. LV.

*Novesii obsidio a Burgundo
 soluta.*

Interea Burgundiæ Dux Novesium con-
 tinuo obsidebat, certa spe concepta, il-
 lius deditionem jamjam proximam esse,
 eoquod

eo quod Imperator ac Germaniæ Princi- Sæcul. XV.
pes urbem obsidione liberare frustra ni- A.C 1475.
terentur. Cum ergo Dux in Novesii
expugnatione gloriæ ac famæ suæ
summam verti existimaret, inde non
nisi capta urbe recedere statuit. Atta-
men Anglorum importunitas Burgundi
consilia penitus evertit; hi enim jam du-
dum in Franciam, prout Burgundo pro-
miserant, exscensionem parabant, sed hu-
cusque ab ipso Duce rem differre roga-
bantur; nunc autem, cum dui, frustra
tamen Burgundi adventum præstolaren-
tur, ulteriorem moram pertæsi, eidem
significarunt, se quantocius classem con-
scensuros, siigitur Caleti, exscensione fa-
cta, illum adhucdum obsidione Nove-
sienfi distentum comperturi essent, omni
cunctatione remota in patriam reversu-
ros: Burgundus, quid consilii caperet,
dubius hæsit, hinc certa proximæ victo-
riæ spe plectus, illinc gravi, ne Angli
foedus rescinderent, metu agitated. Vi-
cit tamen pacta cum Anglis amicitia, un-
de Burgundus eo unice curas intendit,
ut honesto quodam obtentu obsidionem
solvere posset; Opportuno etiam accidit
tempore, ut Sixtus IV. Pontifex Ma-
ximus Alexandrum Forolivii Episcopum
legatum decerneret, qui pacem inter
Ducem, atque Germanos conciliaret; hic
litigantibus auctor erat, controversiæ in-
ter

Sæcul. XV. ter Hermanum Principem & Rupertum ob
A.C. 1475. Colonie Archiepiscopatum exortæ deci-
 sionem Sanctitati suæ velut arbitro esse re-
 linquendam, ac Novesium urbem quanto-
 cius Alexandro tradendam, ut illam usque
 ad exitum causæ servaret. Placuit ut-
 riq; Legati consilium, quare nulla mo-
 ra uterque exercitus castris suis exces-
 sit, Burgundi copiis Lotharingiam ver-
 sus contendentibus.

§. LVI.

*Bellum Galliarum Regi ab Anglis
indictum.*

*Comin. l. 4.
cap. 4.*

Angli re comperta protinus naves con-
 scendere parant, Caletum appulsuri,
 Rex tamen Eduardus, antequam Anglia
 excederet, fecialem nomine Jartierum
 præmisit cum literis ad Ludovicum XI.
 Galliarum Regem, quibus regnum Fran-
 ciæ suum esse, proin sibi reddi postula-
 bat; sin vero recusaret, bellum denuncia-
 bat. Ludovicus remotis arbitris perle-
 git epistolam, ac paulo post Fecialem ad
 se venire iussit, eidemque hæc verba di-
 xit: mihi haud quaquam incognitum
 est, quod Angliæ Rex a Burgundiæ &
 Britanniae Ducibus, necnon a Connestabili
 Franciæ sollicitatus hanc expeditionem
 susceperit: nihilominus mihi persuasum
 est, quod classis ejus, cum tempestas jam-
 jam